

vita coelesti; tum quia ex beatitudine ultima et completa animae redundat in corpus quaedam illius participatio et nulla est causa cur impediatur, cum illi justis jam sint extra statum merendi. Ergo... Confirm. Sicut inter resurrectionem damnatorum et ingressum in infernum nullus est status intermedius, ita neque inter justorum resurrectionem et eorum ingressum in caelum adstruendus est.

71. II.<sup>a</sup> Pars. Cum P. Hurter (1): «Lex enim 1.<sup>o</sup> universalis est: Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur (2);—neque alia erit conditio Ecclesiae militantis seu corporis Christi in terris quam quae fuit ducis et capitis: *Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus* (3);—quam ob rem Christus inculcat abnegationis et mortificationis necessitatem: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me inveniet eam* (4);—et de Paulo et Barnaba legimus (5) eos fuisse confirmantes animas discipulorum exhortantesque, ut permanerent in fide, et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum: quam legem universalem suspendendam abrogandamque esse per plura saecula ante iudicium ultimum, gratis, imo temere affirmatur. Cum ea autem conciliari nequit felicissima illa Ecclesiae conditio, quam nonnulli somniant.»

2.<sup>o</sup> «Vel justis eo tempore obnoxii erunt concupiscentiae caeterisque peccati originalis sequelis vel ab illis erunt immunes: hoc temere imo periculose affirmatur post Synodum Tridentinam (6), quae: «Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem... fatetur et sentit.» Si vero primum statuatur, non adeo felix erit justorum conditio, neque aemula conditionis protoparentum in paradiso, ut non nemo ex contrariae sententiae patronis finxit.»

3.<sup>o</sup> «Ecclesiae conditio ad finem usque saeculi teste Christo (7) complectetur triticum et zizania, bonos malosque; quare non erit adeo felix ejus conditio, ut gratis affirmant adversarii.»

72. Obj. 1.<sup>o</sup> In pluribus prophetiis Ezech. XXXVIII; Deuter. XXX; Isaia XXVII, XLIII; Jerem. XXIII, etc., promittitur regnum Christi gloriosum in terris, cum judaei inter gentes dispersi ad Dominum convertantur. Ergo...

Resp. In his et similibus prophetiis juxta Patres Ecclesiae promittitur regnum Christi gloriosum in terris per Ecclesiam, quam praefigurabat reditus a captivitate Babylonica ab aliquibus prophetis immediate praedicta, vel in caelis post consummationem saeculi; conc. Exclusive in terris et ad sensum millenariorum; neg. Etenim cum ex aliis Scripturae locis minime dubiis et obscuris, una cum moraliter uniformi et constante Patrum traditione satis manifestum sit, non posse sumi litteraliter multa ex his, quae in objectis

(1) Theol. comp. Vol. III, n. 862.—(2) II, Tim. III, 12.—(3) Luc. XIV, 27, V, Rom. VIII, 16. Luc. IX, 23. Matth. X, 24.—(4) Matth. XVI, 24, 25.—(5) Act. XIV, 21.—(6) Sess. 5, can. 5.—(7) Matth. XIII, 24.

prophetiis leguntur, communiter interpretes post sanctos Patres dicunt, Prophetas sub allegoria regni temporalis felicissimi descripsisse Ecclesiam, ad quam in fine mundi convertentur judaei, et ipsam caelestem Jerusalem quam expectamus.

Obj. 2.<sup>o</sup> Minime dubium et obscurum est testimonium S. Joannis (1): *Et apprehendit draconem... qui est diabolus... et ligavit eum per annos mille... ut non seducat amplius gentes donec consummentur mille anni... Et vidi... animas decollatorum propter testimonium Jesu... et qui non adoraverunt bestiam... et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima.* Ergo millenarium Christi regnum in terris clare affirmatur in Scriptura.

Resp. Dist. conseq. Sono tenus; conc. Re et secundum regulam principem interpretationis sacrae Scripturae; neg. Cum enim Scriptura est obscura, ut de universa Apocalypsi fatentur omnes, vel apparenter opposita aliis Scripturis, nec in ipsa Scriptura verborum sensus declaratur, tunc sensus traditionalis Ecclesiae principem locum obtinet, Ecclesiae enim non aliis promissa est infallibilitas.

Jam vero ea, quae in hoc capite dicuntur juxta probatiorem Patrum interpretationem Ecclesiae accommodantur hoc pacto: a) Angelus de quo est sermo est Christus, vel Angelus, qui Christi sit minister juxta illud Lucae (2): *Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia, quae possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.*

b) Est sermo de primo adventu Christi (3), tum propter plurimum Patrum auctoritatem, qui ita sentiunt, tum ex parallellismo cum Matthaeo (XII, 29), ubi de primo adventu Christi dicitur: *Quomodo potest quis intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere nisi prius alligaverit fortem?* Et Joannes eod. cap. Apocal. v. 3, *misit eum in abyssum et clausit... ut non seducat gentes.*

c) Ligare daemoneum juxta communioem Patrum expositionem teste S. Augustino (De civ. L. 20, c. 7; epist. 107) est Christum ita daemoneum alligasse et includisse in abyso, ut inde non nisi ex voluntate Christi ad tentandum exeat, non quidem mordendo (nisi eos, qui voluerint) sed tantum latrando.

d) Mille anni sunt tempus definitum pro indefinito, ut mos est in Scriptura v. g. Eccli. XVI, 3. *Melior est unus timens Deum, quam mille impii.* Ratio indefinitionis est, quia agitur de materia, quam homines celare oportebat, et nullum est verbum, quod indi-

(1) Apoc. XX, 2, 4, 5.—(2) XI, 21, 22.—(3) Non adhaerebat huic opinioni P. Casajoana, ut attente legenti Thess. LXXVII de Deo Incarnato nn. 311-319 patebit. Ibi ex cc. Apoc. XIX, XX, de secundo adventu personali Christi intellectis, aperte inter mortem Antichristi et universalem resurrectionem mortuorum epocham aliquam felicem et faustam religionis christianae non brevi tempore duraturam admittit, quod sedulo animadvertendum est, ne minus recte illa interpretando postea nesciat legens, ab objectione millenarismi, quam ibi tacet auctor, se extricare.

cet solis mille annis Christum regnaturum esse. Inde colligitur *resurrectionem primam* de qua fit sermo, esse resurrectionem spirituales per gratiam; siquidem toto tempore, quod fluere debet usque ad iudicium, Christus ipse regnaturus est super justos absque nova immutatione et quasi innovatione, quae per corporum resurrectionem in illo regno fiet; quod confirmatur ex eo, quod nulla fiat ibi mentio de corporibus, sed de solis animabus.

e) Haec resurrectio spiritualis incipit in justificatione, perficitur in morte quando anima glorificatur; toto enim hoc tempore Christus operatur in anima eam perficiendo et vitam spirituales augendo. Sola enim justificatio non habet rationem completae resurrectionis, quae mortis possibilitatem excludit; nam ibi dicitur *secundam mortem* i. e. damnationem non habere locum in iis, qui primae resurrectionis sunt participes, quod verum non est de mere justificatis, qui dum in vita sunt adhuc peccare possunt. Sola animae glorificatio praecisive sumpta a justificatione non importat resurrectionem, quae essentialem dicitur habitudinem ad eum terminum a quo i. e. mortem a qua per justificationem liberamur.

Inst. 1.º Clare asseritur in dicto cap. XX, 5. Apoc. *Caeteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima.* Sed haec necessario intelligenda sunt de resurrectione corporali, vitæ enim spirituali damnati nunquam resurgere possunt. Ergo...

Resp. Neg. *Min.* Nam. a) In illis verbis est sermo de vita gratiae et gloriae, ita ut qui non adhaeserunt Christo toto illo saeculo usque ad finem mundi non sint gratiam et gloriam consequuturi.

b) *Donec consummentur mille anni* non significat post mille annos esse vivificandos resurrectione; sed quia tempus definitum a Deo solum est hoc tempus, quod fluit usque ad iudicium, ideo dictum est damnatos toto hoc tempore non fore vivificandos gratiâ, non quia postea gratiâ vivificandi sint, sed solum ut excludatur tempus in quo vivificari poterant, et ita particula *donec* tantum significat quod factum non est, non quid post illud tempus futurum sit.

c) Sermonem autem esse de resurrectione animae seu hanc significare *resurrectionem primam* constat: a) Quia post primam resurrectionem dicitur in eodem capite futuram Antichristi persecutionem, in qua juxta Matthaeum (1) justii occiduntur. Sed hoc repugnat statui beato, quem justii habebunt post resurrectionem. Ergo... ß) Ex correlatione, nam loquitur de morte spirituali: ergo et de resurrectione spirituali. *Antec.* patet ex verbis infra v. 14, positis. *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis.* ð) Agendo de eadem re primum et secundum non datur nisi in eodem ordine. Sed mors secunda est spiritualis. Ergo et prima. *Min.* prob. Tum auctoritate S. Chrysostomi (2), tum quia mors corporalis non nisi una est.

Inst. 2.º Paulus ad Thessalonicenses (3) ait: *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, etc.*

Resp. Et hic *prius* et *deinde* respiciunt ipsam resurrectionem;

(1) XXIV.—(2) Homil. 25, in Apoc.—(3) I.º IV, 15, 16.

neg. Ordinem successionis inter resurrectionem et raptum in caelum; conc. In primo membro loquitur tantum de iis, qui multo ante iudicium obierunt, quia de his erat major difficultas quomodo possent resurgere (1).

## SCHOLION II.

### *De aliis circumstantiis resurrectionis.*

73. I. De causa efficienti et exemplari. Sicut Christus D. secundum humanam naturam primitias gratiae divinitus suscepit, ejusque gratia est causa nostrae gratiae, quia: *de plenitudine ejus nos omnes accepimus:*

*Gratiam pro gratia* (2), ita, et in Christo inchoata est resurrectio, et ipse, qua resurrexit, erit causa nostrae resurrectionis, non modo exemplaris sed etiam efficiens.

Ait enim S. Joannes (3): *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent, etc.* Et S. Paulus (4): *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo...* quod ita exponit Suarius, descendet praemittens jussu suo vocem Archangeli et tubam Dei, cujus sonu omnes mortui suscitabuntur. «Tunc, ait Hieronymus (5), ad »vocem tubae pavebit terra. Sive leges, sive dormies, sive scribes, sive vigilabis, haec tibi semper buccina in auribus sonet.» Haec vox probabiliter habebit duas partes. Prior est illa *surgite mortui*, et per hanc excitabuntur; posterior est illa *et venite ad iudicium* et hanc percipient homines jam viventes, eique e vestigio statim obtemperabunt, et tam velociter fiet resurrectio, ut fortasse priorem etiam partem hujus vocis possint homines percipere, quia sonus vocis non transit subito, sed aliquo tempore durat.

Inde colliges resurrectionem omnium fieri a Christo non immediate et proprie per ipsius resurrectionem, quae jam praeteriit, sed mediate et improprie quatenus per ipsam virtutem divinam, qua suam resurrectionem operatus est, efficiet nostram utendo voce sensibili Archangeli tamquam instrumento. Et hoc sensu videtur exponendus D. Thomas (6).

Constat pariter Christum D. esse perfectissimum exemplar resurrectionis justorum: ex illo Pauli (7): *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Non erit tamen Christus D. exemplar resurrectionis damnatorum. Nam ut res aliqua sit exemplar alterius, non satis est similitudo vel conformitas inter illas, sed oportet ut altera fiat sub habitudine repraesentationis seu imitationis alterius. In praesenti ergo, quamvis in corporibus damnatorum sit aliqua cum corpore Christi similitudo, non

(1) V. Suar. De myst. D. 50, sect. 9; D. Thom. suppl. Q. 77; Wirceburg. De beatitudine a n. 38.—(2) Joann. I, 16.—(3) V. 28, 29.—(4) I.º Thess. IV, 15.—(5) *Reg. monach.* c. ult. de tim. judic.—(6) Suppl. Q. 76, a. 1, ad 1; Suar. De myst. D. 45, sect. 2; De Incarnat. D. 31, sect. 7.—(7) Philipp. III, 21.

tamen eorum resurrectio fit ut Christum repraesentent, neque ut sint ei similes et conformes, sed propter alias rationes divinae Providentiae et Justitiae (1).

74. II. De termino a quo et resurrectionis loco. Licet communiter theologi sentiant cum D. Thoma (2), omnia corpora hominum saltem per ultimam conflagrationem in cineres reducenda esse antequam resurgant, tamen valde probabile est non esse per se necessarium, nec divina ordinatione decretum ut omnia corpora hominum priusquam resurgant, in elementa vel cineres omnino resolvantur, sed solum ut moriantur. Quia vero ex morte necessitate quadam naturali sequitur ut corpus putrescat et in cineres resolvatur, hinc fit ut secundum legem ordinariam, et seclusis privilegiis, corpora, quae longo tempore ante resurrectionem mortua jacuerunt, in cineres transmutentur, in aliis vero id non est necessarium, cum naturaliter non possit evenire propter temporis brevitate.

Congregatio cinerum uniuscujusque fiet ministerio Angelorum, qui propria naturali virtute possunt hoc ministerium exequi, non tamen efficient organa et corporis dispositionem ad recipiendam animam, quia ad hoc non se extendit eorum potentia naturalis. Non est improbable licet probabilius sit contrarium cineres damnatorum a daemonibus congregandos esse.

Quoad locum resurrectionis probabilis juxta verba S. Joannis: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, etc.*, dicendum videtur singula corpora resurrectura in eo loco ubi jaceant; et si fortasse secundum diversas partes in varia loca sint sparsa, ubi fuerit major vel praecipua pars, eo Angelorum ministerio adducentur reliquae partes materiae atque ibi fiet uniuscujusque resurrectio.

75. III. De dotibus corporum resurgentium. Communiter docent theologi:

1.º Omnes justos imo etiam solo originali peccato inquinatos mortuos resurrecturos cum corpore debitae proportionis et perfectionis naturae respondentis, i. e. distinctis sexibus et inaequali statura sed intra limites perfectae naturae ita ut neque sit excessus neque defectus. «Nihil tunc vitii, ait S. Augustinus (3). »in corporibus existet, si aliqui plus pinguedine obesi et crassi »extiterint, non totam corporis molem assumunt; sed quod illam »habitudinem superabit reputabitur superfluum, et e diverso, »quaecumque vel morbus, vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina, ut, si aliqui propter macrorem »fuerint graciles, quia Christus non solum corpus nobis reparabit, »sed quidquid per miseriam hujus vitae fuerit nobis ademptum. »Item alio loco (4): «Non resumet homo capillos quos habuerit, sed »quos decuerit, juxta illud (5): *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt*, qui secundum divinam sapientiam sunt reparandi.» Quoad aetatem docet idem S. Doctor (6): «sic accipiamus... ut nec

(1) V. D. Thom. Suppl. Q. 76, a. 1, ad 4.—(2) Ibid. Q. 78, a. 2.—(3) De civit. Dei. L. 22, c. 19, 20, etc., ex catechis. Trid. P. I, ar. XI, n. 10.—(4) Enchir. c. 89.—(5) Matth. X, 30.—(6) De civ. L. 22, c. 15.

»ultra nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum, »sed in ejus aetate et robore, usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus.»

Idem videtur dicendum quoad perfectiones naturales corporum damnatorum contra Durandum, qui asseruit eos resurrecturos cum defectibus corporum, quod communiter negant doctores cum S. Augustino, quia habere membra integra potius auget poenam quam minuit. En quid dicat S. Augustinus (1): «Justi »immutabuntur in illam incorruptelam cui nulla possit nocere »corruptio; qui autem in eam non commutabuntur, incorrupti »quidem resurgunt integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore poenarum.»

2.º Beatorum corpora ornari quatuor dotibus, quae sunt: impassibilitas, subtilitas, agilitas et claritas.

Ex unanimi omnium consensu post S. Paulum (2): *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

Impassibilitas non est incapacitas sensationis aut ejus receptionis etiam convenientis et perfectivae, sed dispositiva resistentia probabilis per qualitatem specialem, cuilibet contrario. Ea dicitur a catechismo Tridentino (3): «Munus et dos, quae efficiet, ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant, nihil enim aut frigoribus vis, aut flammae ardor, aut »aquarum impetus obesse eis poterit. *Seminatur*, inquit Apostolus, »in corruptione, surget in incorruptione. Quod autem impassibilitatem potius quam incorruptionem scholastici appellarint, ea »causa fuit, ut, quod est proprium corporis gloriosi significarent: »non enim impassibilitas illis communis est cum damnatis, quorum corpora, licet incorruptibilia sint, aestuare tamen possunt, »atque algere, variisque cruciatibus affici.»

Subtilitas est vis penetrandi corpora seu jus, quo Deus tenetur ad libitum beati efficere illam compenetrationem, quamvis ejus corpus maneat quantitativum cum debito partium situ et extensione ad locum sibi convenientem. «Hujus (dotis) virtute corpus animae imperio omnino subjicietur, eique serviet et ad nutum »praesto erit, quod ex illis Apostoli verbis ostenditur: *Seminatur*, inquit, »*corpus animale, surget corpus spiritale.*» (Catech. Trid. l. c.).

Agilitas est virtus facillime et celerrime se et alia corpora movendi de loco in locum. Per eam «corpus ab onere, quo nunc »premitur, liberabitur: facillimeque in quamcumque partem anima »voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse »queat, quemadmodum aperte S. Augustinus (4) et Hieronymus (5) docuerunt. Quare ab Apostolo dictum est: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*» (Catech. Trid. l. c.)

(1) Ep. ad Consent. 146.—(2) I Cor. XV, 42-44.—(3) P. I. De resurrectione, XV.—(4) De civit. L. 13, cc. 18, 20; L. 22, c. 11.—(5) In Isai. XL.

Claritas est eximia lux mire splendens pro libitu beati resplendens vel obiecta. Illâ «sanctorum corpora tanquam sol fulgebunt, ita enim apud S. Matthaeum testatur Salvator noster (1): *Justi, inquit, fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* » Ac ne quis de eo dubitaret suae transfigurationis exemplo (2) declaravit. Hanc interdum Apostolus gloriam, modo claritatem appellat (3): *Reformabit, inquit, corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Et rursus: *Seminatur in ignobilitate surget in gloria...* Est vero claritas haec fulgor quidam ex summa animae felicitate ad corpus redundans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur: quomodo etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinae felicitatis derivetur. Hoc vero munere non aequae omnes, perinde ac primo ornari credendum est. Erunt quidem sanctorum corpora omnia aequae impassibilia, sed eundem splendorem non habebunt; nam ut testatur Apostolus (4): *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* » (Catech. Trid. l. c.)

Longe diversa erit immutatio impiorum de quibus scribit S. Basilius (5): «Qui enim mala patrarunt in opprobrium ac confusionem resurgent in seipsis turpitudinem et formas (τοὺς ἁμαρτωλούς) peccatorum impressas inspicientes. Et fortassis ea confusio, in qua aeternum vivent peccatores, horrenda est magis, quam tenebrae et ignis aeternus; cum vestigia admissi in carne peccati in modum indelebilis cujusdam tincturae semper sint habituri ob oculos; quae perpetuo in animae eorum memoria permansura sunt.»

## ARTICULUS II.

## De judicio universali.

## THESIS XIV.

Futurum est universale hominum judicium, in quo Christus D. in gloria et majestate apparens, judex sedebit.

76. **Nota.** Judicium universale appellatur illud, quo «uno die, atque uno in loco omnes simul homines ad tribunal judicis stabunt, ut omnibus omnium saeculorum hominibus inspectantibus et audientibus, singuli quid de ipsis decretum et judicatum fuerit cognoscant: cujus sententiae pronuntiatio impiis et scelestis hominibus non minus futura est poenarum et suppliciorum pars;

(1) XIII, 43.—(2) Matth. XVII, 2.—(3) I Cor. XV, 43.—(4) I Cor. XV, 41.—(5) Homil. in Ps. XXXIII, n. 4.

»rursus vero pii et justi non parvum ex ea praemium fructumque percepturi, cum qualisquisque in hac vita fuerit apparebit (1).» Hoc judicium esse futurum negarunt plures gnosticorum sectae, deinde albigenses, nostra aetate rationalistae et materialistae sicut alia mysteria negant. Thesis est de fide si universalitas hominum de adultis intelligatur, quoad parvulos sententia probabilior idem affirmat (2).

77. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Symbolo Apostolico dicimus: «Credo in Jesum Christum... qui venturus est judicare vivos et mortuos.» Et symbol. Nicaen—Constantinop: «Sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos.» Ex symbol. Athanas. et concil. Later. IV ut in thesi XIII.

2.<sup>o</sup> Apud S. Matthaeum (3) legimus: *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam... Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quam vobis.* Et tandem: *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.*

3.<sup>o</sup> Passim tradunt hanc veritatem Patres: S. Augustinus (4): «Nullus igitur vel dubitat vel negat per Jesum Christum tale quale istis sacris litteris praenuntiatur futurum esse judicium; nisi qui eisdem litteris nescio qua incredibili animositate et caecitate non credit.» S. Gregorius Nys. (5): «Video Filium hominis venientem e caelis per aëra... innumerabilibus stipatum millibus Angelorum. Deinde gloriae thronum erectum in sublime atque in eo consistentem Regem. Tunc omnis hominum tribus, omnes gentes, nationes omnes, quae in hanc vitam ingressae sint... duas in partes segregatas ad tribunal judicis astitisse. Audio eos, qui a dextra sunt, agnos vocari: haedos, qui a sinistra... Audio illic eos interrogantem Judicem et rationes conficientem. Audio quid ipsi respondeant Regi. Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benigne fuerint, atque optime vitam egerint, summa et perpetua quies tribuitur in regno caelesti: inhumanis autem et improbis ignis supplicium, idque sempiternum.»

4.<sup>o</sup> Ratione (6):—a) Convenit ut justitiae et providentiae Dei rectitudo omnibus, fiat manifesta. Sed ad rectitudinem hanc omnibus

(1) Catech. Trid. P. I, ar. VII, § 4.—(2) V. Suar. De myst. D. 57, sect. 6.—(3) XII, 41; XI, 22; XXV, 31, 32.—(4) De civ. L. 20, c. 30.—(5) Or. I.<sup>a</sup> de pauperib. amandis. Idem repetit in verba Evang. *Quod uni ex minimis, or. II.<sup>a</sup> de pauper. amand.*—(6) Cum D. Thom. 3, Q. 59, a. 5; Suppl. Q. 88, a. 1.

manifestandam opus est iudicio universali. Ergo *Min.* prob. Quia non nisi in iudicio universali omnium merita, aut aliae causae, quibus dignoscatur Deum justum et providum fuisse in omnes, cognoscantur. «Sciendum, ait Angelicus, quod licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris secundum quid dependens. Uno quidem modo, secundum quod adhuc vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonae fama vel malae. Alio modo in filiis, qui sunt quasi aliquid patris, secundum illud *Eccli.* (1): *Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se;* et tamen multorum bonorum sunt mali filii et e contrario. Tertio modo quantum ad effectum suorum operum; sicut ex deceptione Aarii et aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi: et usque tunc proficit fides ex praedicatione Apostolorum. Quarto modo quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulturae, quandoque vero relinquitur insepultum et tandem incineratum resolvitur. Quinto modo quantum ad ea, in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscumque temporalibus rebus, quarum quaedam citius finiuntur, quaedam diutius durant. Omnia autem haec subduntur existimationi iudicii divini. Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum iudicium haberi non potest, quamdiu hujus temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale iudicium in novissimo die in quo perfecte id, quod ad unumquemque hominem pertinet, quocumque modo perfecte et manifeste iudicetur.» Confirm. ex S. Augustino (2): «Nunc vero quando in malo sunt boni, et in bono mali, quod videtur injustum... magis inscrutabilia fiunt iudicia Dei... Cum vero ad illud iudicium Dei venerimus... non solum quaecumque tunc iudicabuntur, verum etiam quaecumque ab initio iudicata, et quaecumque usque ad illud tempus adhuc iudicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur quam justo iudicio Dei fiat, ut nunc tam multa et pene omnia justa iudicia Dei sensus mentesque mortalium lateant; cum tamen in hac re, piorum fidem non lateat, justum esse quod latet.»

b) Convenit ut Christus D. qui olim tamquam reus injuste iudicatus fuit, qui ab hominibus despectus fuit, apud omnes tandem glorificetur et tamquam Deus ab omnibus recognoscatur et adoretur, quemadmodum suis persecutoribus praenuntiavit ipse Dominus (3): *Verumtamen dico vobis, a modo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli.*

(1) XXX, 4.—(2) De *civil.* L. 30, c. 2.—(3) Matth. XXVI, 64.

c) Convenit ut totus homo iudicetur. Atqui hoc non fit in iudicio particulari in quo sola anima adest iudicanda. Ergo (1).

78. II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Scriptura locis antea citatis et Joannis (2): *Pater... omne iudicium dedit Filio... Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Act. Apost. (3). *Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.*

2.<sup>o</sup> S. Augustinus (4): «Oportebat ut taceret in passione, non taciturus in iudicio, iudicandus enim venerat, qui postea iudicaturus veniret; et ideo cum magna potestate iudicaturus, quia magna humilitate iudicatus.»

3.<sup>o</sup> Ratione (5): a) Ille iudicare homines debet, qui dominium supremum in homines habet. Sed Christus ut homo in ipsos supremum dominium habet: tum quia ipsos sua morte redemit (Rom. IV, 9); tum quia Pater hanc potestatem ei dedit, ut jam probavimus thes. II. Ergo (6).

b) Finale iudicium ad hoc ordinatur ut aliqui in regnum admittantur, alii vero a gloria arceantur. Sed huiusmodi discretio ad Christum pertinet, qui suis meritis nobis gloriam paravit. Ergo.

c) Iudicare pertinet ad eum, qui leges dedit. Sed Christus ut homo leges dedit. Ergo.

79. III.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Symbolis, locis Scripturae et Patrum jam adductis.

2.<sup>o</sup> S. Athanasius (7) «Secundum quoque et gloriosum verique divinum ejus ad nos adventum... perdiscere poteris cum scilicet non in vili forma, sed in propria gloria, non in humili statu, sed in sua majestate, nec iterum passurus, sed suae crucis fructum, resurrectionem nempe et incorruptionem, omnibus rediturus veniet. Veniet, inquam, non ut rursus iudicetur sed ut omnes iudicet (8).»

3.<sup>o</sup> Ratione. Cum D. Thoma (9): a) Ille qui iudicat debet eminere illis, qui iudicantur. Sed electi, qui iudicabuntur a Christo, corpora gloriosa habebunt. Ergo et Christus, etc.

b) «Sicut iudicari est infirmitatis ita iudicare est auctoritatis et gloriae. Sed in primo adventu, quo Christus venit ad hoc ut iudicaretur, in forma infirmitatis apparuit. Ergo in secundo adventu in quo veniet ad hoc ut iudicet apparebit in forma gloriosa.»

c) «Christus dicitur *Dei et hominum mediator* (10), in quantum

(1) Alia vid. Suar. De myst. D. 53, sect. 1, n. 4.—(2) V. 22, 27.—(3) X, 42.—(4) In Ps. XXXVII, vid. Vol. II, Disq. VII, n. 300.—(5) D. Thom. suppl. Q. 90, a. 1.—(6) V. Thes. I, LXXVI, Disq. VII, Vol II.—(7) Orat. de Incarnat. n. 56.—(8) V. Thes. LXXVII, Disq. VII, Vol. II, n. 310.—(9) Suppl. Q. 90, a. 2.—(10) I. Tim. II.